



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 36. Sanctus Carolus Romam delatus, atque a Papa exceptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

cem editæ sacra celebrato Missæ Sacri-
ficio Romam petiit, ubi cum ejus ad-
ventus jamjam annuntiatus esset, plu-
res Cardinales, Prælati, ac Proceres
eidem obviam processerant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

§. XXXVI.

*Sanctus Carolus Romam delatus, at-
que a Papa exceptus.*

Sanctus Archipræsul prope Ecclesiam
sanctæ Praxedis, cujus titulum
gerebat, diversabatur, altera die san-
cti Petri Basilicam pie lustratu-
rus: verum summus Pontifex, qui
tum Tusculi agebat, illius adventum
edoctus eum accersiri jussit, illumque
haud vulgaribus amicitæ, ac benevo-
lentæ signis exceptum in sui palatii cu-
biculo Papæ Nepotibus destinato mo-
rari voluit, ubi etiam sanctus Cardina-
lis octo diebus perstitit, totoque hoc
tempore de Diæcesis suæ statu sum-
mum Pontificem plene edocuit, suam-
que agendi rationem, necnon obstacula,
quæ restaurandæ disciplinæ objiceren-
tur, integra fide exponebat, atque hostes,
illorumque, qui piis ejus conatibus ob-
sistunt, rationes, ac studia manifesta-
bat: his perceptis summus Pontifex se
eidem potenter adfuturum spondit,
ipsumque quartam illius Synodum exa-
minandam suscepit, ac per integram Se-

*Giuss. c. 2.
Bascapè &
Ripamont.
in vita S.
Caroli.*

Nn 4

pti-

Sæcul. XVI.
A. C. 1579

ptimanam singulis diebus quatuor horas huic labori impendens cuncta decreta adeo considerata, pia, & honesta esseprehendit, ut eadem æque, ac quintam Synodum, cujus acta pariter approbanda sanctus Cardinalis studiose secum attulerat, auctoritate Apostolica quantocius confirmaret: insuper Papa iussit Sanctum Carolum, quamdiu Tusculi moraretur, semper suæ mensæ assistere, & mane illius Missæ quotidie interesse voluit: postquam vero sanctus Archipræsul Tusculo Romam revertebatur, nominis sui fama tam late se diffundebat, ut populus turmatim confluens sibi ab eo bene precari efflagigaret, eumque ad omnes Ecclesias comitaretur, quatenus ipsius Sacrificio missæ interesse, sacramque Synaxin per ipsius manus recipere valeret: porro ipse larga manu eleemosynas erogabat, cunctisque, quibus difficilis ad Papam accessus erat, suam operam eo majori sollicitudine impendebat, quo illi magis pauperes, omnique ope destituti erant: insuper plures Italiæ Episcopi circa difficultates in suo Ministerio occurrentes huius sancti Archiepiscopi consilium expetebant, quibus omnibus æquali promptitudine satisfacere conabatur, ac singulari benignitate, & modestia cum Cardinalibus suis Sociis agebat, illosque

que sibi devinciebat: denique per quatuor illos Menses, ac quindecim dies, quibus Romæ moram traxerat, tam amplum, prout desideraverat, temporis spatium nanciscebatur, ut de omnibus ad Ecclesiæ Universalis, ac speciatim Mediolanensis utilitatem, salutemque necessariis libere cum summo Pontifice agere potuerit: demum vero pro suo Seminario, ac Helvetiorum Collegio ampla privilegia ab eodem Papa impetrabat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1579.

§. XXXVII.

Varia Gregorii XIII. Papæ Constitutiones.

Die tertia Julii Gregorius XIII. ad Fratres Minores sancti Francisci de strictiori observantia Constitutionem direxit, in qua Novitiis hanc reformationem professis præcepit, ut in eodem instituto perseverarent, atque sine speciali sacræ Sedis licentia ad Fratres de Observantia neutiquam transfirent, nisi tanquam Apostatæ castigari velint, quam in rem Papa Bullam Clementis VII. innovabat: insuper idem Pontifex alio diplomate die vigesima octava Junii sodalitatem, quæ a pietate nomen habet, pro captivis Romæ instituit, multasque indulgentias illis concessit, qui hosce miseris visitarent, solatio recrearent,

Bull. t. 2. p.
460. Const.
55. 56. &
57.

Nn 5 eis-